



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

4 Declaratio tertii Puncti, & de distinctionibus ad recte faciendum Examen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

tantam habere notitiam peccatorum, imò
 etiam habere voluntatem non ea commit-
 tēdi, vt de se testatur Apostolus Paulus dum
 Rom. 7. ait. *Non quod volo bonū, hoc facio.* Sed neces-
 sarium est diuina gratia esse munitos, sine
 qua nihil possumus. *Sine me,* inquit Christus
 Ioa 15. apud B Ioannem, *nihil potestis facere.* Ex alia
 verò parte diuina gratia iam ornatus quis-
 que dicere potest cum eodem Paulo. *Omnia*
 Eph. 4. *possum in eo, qui me confortat.* Iam cum & S.
 Iacobus exhortetur nos, vt petamus, adiun-
 cta sponcione de obtinenda gratia. *Si quis,*
 Iac. 1. *inquiens, indiget sapientia, postulet à Deo, qui*
dat omnibus affluentier, restat vt confidenter
 id faciamus, vnde & idem subdit. *Postulet*
astem in fide, nihil hasitans in corde suo.

PUNCTVM III.

*Expendere, quemadmodum cogitatio-
 ne, locutione, opere & omissione
 peccatum sit.*

*De Distinctionibus iuuantibus ad Examen
 rectè faciendum.*

C A P. IV.

IM BECILLITAS visus nostri spiritualis
 ex vna parte, ex altera verò cordis nostri
 hebet.

hebetudo admodum difficile reddunt hoc exercitium. Verissimum siquidem est quod dicit Hieremias. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscat illud?* Et quoniam verissimum est id à Deo cognosci, ut ibidem subiicitur, *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes,* sit ut homo quoq; lumine illo diuino, supra nominato collustratus possit cognoscere, & declarare verum esse, quod B. Paulus in priore ad Corinthios epistola sic scribit. *Nemo scit, quid est in homine, nisi spiritus hominis, qui est in eo.* Hanc tamen difficultatem multum imminuere potest, ordinis & distinctionis observatio: hac enim & multa occulta patefacit, & iuvat ad eadem inveniendae & intelligendae, sicut testatur humani corporis anatomia, & quotidie experimur, si enim v. c. nobis in viridi prato excidat paruula gemma, constat eam facilius reperiri, si herba vna ab alia separetur, quam si quis confusè tantum oculos in gramina coniiciat. Sed & si in pauimento domestico excidat, facilius deprehenditur, si propius obtutum conuertamus ad varia loca, quam si confusè tantum totum pauimentum aspiciamus. Id forte praefigurare voluit, docereq; Dominus illo mandato suo dato, de inveniendae auctore furti

commiffi in euerfione Iericho. *Accedetis,*
2of. 7. inquit Iofua, *mane finguli per tribum veftras,*
Et quamcumq; tribum fors inuenerit, accedet
per cognationes fuas, Et cognatio per domos,
domuq; per viros Quo ordine & diftinctio-
 ne, inquit textus, autor furti deprehensus
 eft, etiam fi in tanto exercitu vnicus tantum
 fuiffet.

Confirmat hanc doctrinam experientia
 naturalis de cubiculo obscuro, ficut enim
 qui illud ingreditur primo aditu hac illac-
 ue respiciens, nihil videt: fi autem in vnā
 eius partem oculos firmiter defigat, fenfim
 videt vel lectum, vel menfam aliquam: fic
 nos, dum ingredimur conscientie noſtræ
 recessus, fi mentē generatim ad multa con-
 uertamus, nihil admodū videbimus, fi au-
 tem definitē in caput vel membrum ali-
 quod ex iis quæ iam explicanda ſunt, eam
 dirigamus, facilius aliquem actum, vel la-
 pſum offendemus.

PRIMA ergo diftinctio ſit iam ante no-
 minata, cogitationum, verborum & ope-
 rum. Secūda verò erit, videre an aliquo tri-
 um horum capitum deliqueris contra De-
 um, teipſum & proximum? Tertia erit, dif-
 currere per horas, & occupationes illius
 diei, initio facto à matutina ſurrectione,
 expen-

expendereq; sitne illa lentè & cunctabundè, an celeriter & sedulo facta tum transire ad orationem, ad sacrum Missæ, ad studia vel labores. Quo enim distinctius procedetur, hoc citius faciliusq; errata cognoscuntur. Atq; hac diligentia efficitur, vt diutius hèreatur intra conscientie penetralia, ipsaque mora clarius etiam minuti quidam lapsus notentur. Sicut qui diutius moratur in tenebroso conclau prius notat conopæum lecti, tum aduertit esse rubeum, hinc sericum, denique ex panno damasceno, flosculis & foliis, aliisq; minutis rebus per-texto

Et quoniam vitia generatim sumpta, vastam quandam efficiunt syluam, ne quis in ea aberret, vel sine fructu eam circumear, gratum me facturum puto, si omnia reuocem ad quinq; capita, quasi ad quinq; obscuras cordis nostri cauernas. Quarum vnamquãlibet ingressi, si aliquantulū commorati fuerimus, seruata dicta distinctione & ordine, spes non dubia affulgebit quæcūque in iis fuerint, parua æquè ac magna cognoscendi. Sunt autem hæc capita curiositas, malignitas, otiositas, sensualitas & Vanitas. Quæ singula singulis exponam capitibus, cuiusmodi sint, & quomodo iis delinquamus.

Pro Epilogo verò huius capituli, monitum te volo, me nihil tractaturum, de natura peccatorum, hoc est, quando actio rationem peccati habeat, vel non, quando sit peccatum mortale, vel veniale, sed omnia remittam ad eruditum, prudentem & pium Confessarium, & idè quisq; debet confiteri, quod inuenerit, stabitq; in omnibus iudicio illius. Tu interim caue ne amor proprius te excæcet, inducatq; *ad excusandas excusationes in peccatis*, vti psalmista loquitur, sed omnia ipse expendas & examines cogitans te præ manibus habere inimicum tuum capitalem. Compositis itaque, vel à fronte, vel à tergo brachiis pro tua deuotione, atq; si ligata essent, imaginare te ceu captiuum produci ad seueri iudicis Christi tribunal, ibiq; quotquot crimina derexeris, esse tibi condonanda, & idcirco angelum custodem, quem ad dextram tibi assistere cogitabis, deprecabere, vt tibi omnia & singula suggerat. Contra vero non esse condonanda, quæ tua culpa non inueneris, & ideo imaginabere tibi assistere ad sinistram dæmonem laboratè ne illa diuulgentur, licet postea summo studio curaturus sis, vt à iudice puniantur, sicut per os Sophonię prophete comminatus est. *scri-
tabor*

Psal. 140.

Soph. c. I.

*labor Hierusalem in lucernis, id est, exami-
nabo te.*

De Curiositate.

C A P. V.

CURIOSITAS est, quando inordinato desiderio & studio rei alicuius notitia expetitur. Quod primo fit, quando debitæ circumstantiæ loci, temporis, personæ, quantitatis, &c. desiderantur. vt si quis studeat tempore sacrę Missę. Secundo, quando mala aliqua circumstantia intercurrit. vt si cui in studio scopus propositus est superādi alios, & gloriam aucupandi, vt fecerant, de quibus scribit S. Augustinus in libro de *Aug. 2.*
moribus Ecclesię. Sunt, inquit, qui desertis 21,
*virtutibus, & nesciētes, quid sit Deus, & quā-
ta sit maiestas semper eodem modo manentis
natura magnum aliquid se agere putant, si
vniuersam istam corporis molem, quam mun-
dum nuncupamus, curiosissimè intensissimèq;
perquirant. Vnde etiam tanta superbia gignit-
tur, vt in ipso celo, de quo disputant, sibi met
habitare videantur. Eodem modo delin-
quitur, quando studium refertur ad rem a-
liquam quæ sine peccato non potest exer-
ceri, vt ad beneficia, quibus corporis, &*